

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3751

Auteur(s) : Philippe, Troarn, Saint-Martin (abbaye, abbé)

Bénéficiaire(s) : Philippe III le Hardi, France (roi)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : 1271, 18 avril

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'abbé Philippe et les moines de Troarn promettent les prières pour la famille royale à Philippe [III], roi de France.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 803, p. 186-187.

Texte établi d'après a

Illustrissimo ac serenissimo domino Philipo, Dei gracia, Francorum regi excellentissimo, frater Ph., divina missione, monasterii de Troarno minister licet indignus totusque ejusdem loci conventus humilis, salutem in eo qui est omnium vera salus, subjectionem et obedientiam, cum omni reverentia et honore. Cum universalis mater ecclesia crebris lamentationibus et irrefrangabilibus suspiriis et amaris singultibus merito plangere debeat, nos tamen omnes, qui jugum et onus religionis portamus in humeris, debemus precipue pre ceteris quasi torrentem lacrimas deducere per diem et noctem, ob decessum et abcessum tam gloriosi et excellentissimi regis, felicis memorie et inclite recordationis Ludovici, quondam progenitoris vestri, cuius obitus omni populo Xpistiano cedit in detrimentum non modicum et jacturam, cuius ferventissima caritas, cuius fidelis devotio quam semper ad ecclesiam Dei habuit, cuius bonitas et innocentia, cuius sanctitas quasi lucerna super candelabrum posita et quasi lucifer matutinus in sancta ecclesia refulgebat, cuius splendor eximius omnium aliorum claritatem offuscare videbatur. Erat enim rex pius et pacificus, pater pauperum et egenit, miserorum refugium, sublevator oppressorum et ecclesie defensor intrepidus, innocentie et religionis cultor precipuus et amator ; et, quamvis hic plantus inconsolabilis videretur, nova tamen dolendi causa ingeminare gemitus nos compellit diri vulneris novitate in interioris cordis medullis percussos et acerbissime vulneratos, ob decessum et obitum excellentissime regine Ysabellis, quondam uxoris vestre, tam gloriose regine, tam gratiose domine, forma pre ceteris speciose, scientia luminose, omni morum honestate conspiscue (sic), cuius vita laudabilis et inclita viduis et orphanis, pupillis, pauperibus et egenis, oppressis et misserabilibus personis, religiosis domibus et omni ecclesie erat utilis et eciam fructuosa, et quamvis firmam spem et certam fiduciam habeamus, quod, propter opera caritatis et alia bona innumerabilia que dictus rex et dicta regina, quoisque dies clauerunt extremos, et Deo felices spiritus reddiderunt, indesinenter et indefesso animo studuerunt adimplere, a temporalis regni cura et sollicitudine ad superni regis palatum sint translati et ad gaudia sine fine, attamen, quod tucius et cercius est imitantes, dicto regi et regine specialiter necnon Johanni, quondam comiti Nivernensi, egregio principi, et Th., quondam Navarre regi, concedimus participationem omnium bonorum que fiunt et fient de cetero in monasterio nostro et in omnibus locis nostro monasterio subjectis, in vigiliis, jejunis, orationibus, matutinis, horis, missarum sollempniis, vesperis, completoriis et psalmis ; insuper promittimus et etiam obligamus quod quilibet commonachorum nostrorum, qui

possunt et debent in sacerdotali officio ministrare, qui sunt numero quinquaginta, pro eorum animabus pretiosis, septem missarum sollempnia celebrabit, et alii qui non sunt presbyteri, qui sunt sexdecim numero, quilibet eorum ter psalterium leget, et alia laudum preconia, et orationum suffragia immolabit altissimo creatori, et nos et totus nostri monasterii conventus pro persona vestra, quam Deus custodiat ab omni crimine et periculo, et pro statu regni Francie omnipotenti, Deo speciale orationem diebus singulis offeremus. Bene et diu valeat vestra potestas regia, vestra excellencia vestraque magnificencia in Domino Jhsu Xpisto, Datum anno Domini M° CC° LXX° primo, die sabbati post Quasimodo.